



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. II. An idem possit à seipo baptizari, vel plures ab uno, aut unus à
pluribus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

ita etiam sufficit ex parte ministri quicumque homo.

9. Dices, D. Augustinum libro 2. contra Epistolam Parmeniani, noluisse determinare an Baptismus a non baptizato collatus sit validus, & Gregorium II. scribentem Bonifacio, dicere baptizatos a paganis quibusdam esse rebaptizandos. Ergo Baptismus a non baptizato vel pagano collatus, non est validus.

Ad Augustinum respondeo cum D. Thoma hic art. 5. quod quamvis ille hoc reliquerit loco citato indecisum, fuit tamen ab Ecclesia determinatum, precipue Canone A quodam Iudeo, supra citato, imò ab ipsomet D. Augustino aliis in locis, & in ipsomet libro citato, ubi sic de Baptismo loquitur: *Est nulla necessitate usurpetur, & a quolibet cuiuslibet detur, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicitum datum.* Ad Gregorium verò dicendum, ipsum loqui de paganis, qui non baptizaverant in nomine Trinitatis, qui proinde verum Baptisma non contulerant.

10. Quamvis autem quilibet possit validè tantumquam minister necessitatis baptizare, hic tamen ordo servari debet, ut mulier non baptizet in præsencia viri, nisi ipse vir nollet baptizare, nec laicus in præsencia Clerici, nec hic in præsencia Sacerdotis: Sacerdos tamen potest baptizare in præsencia Episcopi, quia baptizare pertinet ad officium Sacerdotis. Unde Catechismus Pii V. de Baptismo sic ait: *Neque verò hoc munus ita omnibus promiscuè permissum esse fideles arbitrentur, quin ordinem aliquem ministrorum statuere maxime debeat: mulier enim, si mares adsint, laicus item, præsente Clerico, tum Clericus coram Sacerdote, Baptismi administrationem sibi sumere non debent, quanquam obstrictes quæ baptizant, consueverunt, improbanda non sint, si interdum præsente aliquo viro, qui huius Sacramenti conficiendi minimè peritus sit, quod alias viri magis proprium videretur, ipsæ exequantur.*

11. Sed quæres primò, an peccet mortaliter scemina, in præsencia viri, vel vir laicus, in præsencia Clerici, aut Clericus in minoribus, in præsencia Subdiaconi, in periculo mortis baptizans?

Respondeo negativè contra Vazquem disp. 147 cap. 5. in hoc enim quod scemina præsenteretur viro, & laicus Clerico, & Clericus in minoribus Subdiacono, licet aliqua indecentia reperiatur, est tamen levis, & ideo solum venialis.

12. Quæres secundò, an peccet mortaliter non Diaconus, qui in necessitate, in præsencia Diaconi baptizat?

Respondeo affirmativè, quia Diaconus potest ex commissione conficere Baptismum cum solemnitate, quod multum accedit ad ministrum ex officio, & idcirco videtur res gravis, quod in præsencia illius conficiatur ab alio. Idem à fortiori dicendum est de Diacono baptizante in præsencia Sacerdotis, non tamen de Sacerdote baptizante in præsencia Episcopi, quia (ut supra ostendimus) hoc inter Diaconum & Sacerdotem discrimen reperitur, quod Diaconus ex vi suæ ordinationis non est minister Baptismi ex officio, sed solum ex commissione: At verò Sacerdos ex vi suæ consecrationis, cum habeat potestatem ordinis ad cōsecrandum Christi corpus, habet etiam facultatem ad baptizandum cum solemnitate, & ad absolvendum à peccatis: po-

A testas enim in corpus Christi mysticum, & testate in corpus ejus naturale dimanare, ut dicebamus.

Dices, Hi solum rectè & jure admittuntur veluti principes illius: Sed soli Episcopi in Ecclesia principatum tenent, ut dicit Glossa ordinaria ex Beda super caput 10. Luca: Ergo soli Episcopi possunt de jure admittere ad corpus Ecclesie, subindeque ipsis tantum competit officio baptizare, atque ita si simpli Sacerdos in præsencia Episcopi baptizet, peccat mortaliter.

B Respondeo cum D. Thoma hic art. 2. ad 2. quod in qualibet republica, ea quæ sunt minora pertinent ad minora officia, maiora vero maioribus reservantur, secundum illud Exodi 18. *Quid manus fuerit, referant ad te, & ipsi tamen modo minora iudicent;* & ideo ad minores status Principes pertinet disponere de infima populi, ad summos autem Principes pertinet disponere quæ pertinent ad maiores civitatem. Per hunc gradum in populo Christiano, & ideo baptizare pertinet ad minores Principes Ecclesie, id est ad Presbyteros, qui tenent locum secundum Discipulorum Christi, ut dicit Glossa in Beda Luca 10. ad illa verba, *Designavit septuaginta duos.*

ARTICULUS II.

An idem possit à seipso baptizari, vel per res ab uno, aut unus à pluribus?

Dico primò, neminem posse seipsum baptizare. Ita D. Thomas quæst. prædictæ art. 5. ad 4. ubi ait quod mutatur forma Baptismi, si diceretur, *Ego baptizo me;* & tunc nullus potest baptizare seipsum, propter eandem Christi à Ioanne voluit baptizari, ut dicitur eundem de Baptismo & eius effectu. Unde ibidem Innocentius III. consultus de Iudeo quodam qui seipsum baptizaverat, respondit esse rebaptizandum. Nec obest quod addit, *talem nihil minus salvandum fuisse, si tunc obisset:* intelligit enim non vi Baptismi fluminis, sed fluminis, propter fidem vivam erga Deum, cui volebat uniri per Sacramentum.

Potest etiam probari conclusio, ex forma Baptismi, tam Græca, quam Latina, & ex verbis Christi Matthæi ultimo, *Baptizantur enim, nec non ex natura ipsius Baptismi: Baptismus enim est Sacramentum regenerationis, iuxta illud Christi Joannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* Ergo sicut nemo seipsum generare potest, ita nec seipsum baptizare.

E Dico secundò, plures simul ab uno baptizari posse. Ita Divus Thomas hic articulo 6. ad 2. ubi sic ait: *In casu necessitatis unus potest plures baptizare, sub hac forma, Ego vos baptizo, putà si immineret ruina aut gladius, vel aliquid huiusmodi quod omnino moram non pareretur, ut scilicet omnes baptizarentur. Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesie, quia pluraliter dicitur Matthæi ultimo Baptizantur enim &c.* Quibus verbis S. Doctor concludit nem nostram & docuit & probavit. Possit

que confirmari, nam credibile est D. Petrum ita fecisse Actuum 2. quando una die multa hominum millia baptizavit; non enim poterat singulos seorsim baptizare

Dico tertio: Baptismum collatum alicui a pluribus simul abludentibus, & dicentibus, *Nos te baptizamus*, nullum esse. Est contra Durandum & Paludanum, est tamen D. Thomae hic art. 6. sic dicentis: Ex tali forma, *Nos te baptizamus*, exprimitur talis intentio quod plures conveniant ad Baptismum conferendum: quod quidem videtur esse contra rationem ministerii, homo enim non baptizat, nisi ut minister Christi, & vicem eius gerens; unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum representet: propter quod signanter Apostolus dicit Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma*, & ideo contraria intentio videtur excludere Baptismi Sacramentum. Quibus verbis S. Doctor rationem fundamentalem nostrae conclusionis insinuat, quam Serra sub hac forma proponit. Ut Baptismus sit validus, debet apponi forma legitima, & non exprimi intentio contraria intentioni Christi & Ecclesiae: Sed quando plures simul ablunt, & dicunt, *Nos te baptizamus*, non apponitur legitima forma, & exprimitur intentio contraria intentioni Christi & Ecclesiae: Ergo non est validus Baptismus, sed nullus. Major patet, Minor probatur. Forma legitima, & intentio Christi & Ecclesiae, excludit pluralitatem ministrorum convenientium ad Baptismum conferendum; si enim unus est Christus, tam ipse quam Ecclesia vult ac intendit, ut minister vicem gerens Christi, & ipsum representans, sit unus; forma etiam legitima, nullum exprimit ministrum, ut patet in forma Graecorum, aut unum solum exprimit, ut constat in forma nostra: Sed per hanc formam, *Nos te baptizamus*, & ex vi verborum illius, exprimitur pluralitas ministrorum convenientium ad Baptismum conferendum, & intentio talis pluralitatis: Ergo qui illa utuntur, intentionem contrariam intentioni Christi & Ecclesiae expriment, & formam legitimam Sacramento Baptismi non apponunt.

Dico quarto: Si plures aliquem baptizando seu ablundo, quilibet eorum diceret, *Ego te baptizo*, qui prius verba proferret, Baptismi Sacramentum conficeret: si vero omnino simul abluerent, & verba proferrent, omnes verè baptizarent. Ita D. Thomas hic art. 6. ubi post verba conclusionis praecedenti relata, subdit: *Si vero interque diceret, Ergo te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, tunc manifestum est quod ille qui prius verba proferret, daret Baptismi Sacramentum...* Si autem omnino simul ambo verba proferrent, & hominem immergerent, vel aspergerent... uterque, quantum in se est, baptizaret; nec traderent aliud & aliud Sacramentum; sed Christus, qui est unus, interius baptizans, unum Sacramentum per utrumque confert.

Ratio etiam suffragatur. Et in primis, quod si plures aliquem ablundo dicerent, *Ego te baptizo*, ille qui prius verba proferret, Sacramentum conficeret, manifestum est; ille etenim prius legitimam formam & materiam Baptismi apponeret: Ergo si intentionem baptizandi haberet, verum Baptismi Sacramentum prius conficeret; & alter qui postea verba pronuntiare praesumeret, nihil omnino efficere, sed tanquam rebaptizator puniendus esset.

Quod verò si omnes simul abluerent & verba

proferrent, omnes verè baptizarent, non minus evidens est, nam omnes sufficienter omnia ad Baptismum requisita ponerent: Ergo sicut recenter ordinati Sacerdotes, omnes simul cum Episcopo verè consecrant, si simul verba consecrationis proferant; ita & in nostro casu, si omnes simul abluerent, & verba proferrent, omnes verè baptizarent.

Dices primo, Idem numero effectus a pluribus causis totalibus ejusdem ordinis, simul procedere nequit, ut docent nostri Thomistae in secundo phisicorum: Ergo nec idem Baptismus esse a pluribus ministris ad illum conficiendum simul concurrentibus.

Respondeo quod idem numero effectus non potest esse a pluribus causis totalibus ejusdem generis & ordinis, si sint principales, secus autem si sint instrumentales. Ratio differentiae est, quia si idem effectus esset a duabus causis totalibus principalibus, penderet per se a qualibet & non penderet per se, quia sine qualibet esse potuisset; & insuper esset ab iis productus per duas actiones numero distinctas, cuilibet enim conveniret sua propria actio, & nihilominus non esset productus per duas actiones, quia in eodem passio non possint simul esse duae actiones solo numero distinctae; haec autem repugnantia non reperiretur, si causae essent instrumentales; primo quia effectus non penderet per se a causa instrumentalī, sed ipsa mediante, a sola causa principali: secundo, quia non essent etiam duae actiones, sed una tantum; non enim multiplicarentur, propter multiplicationem virtutum instrumentalium, si pluribus instrumentalibus receptarum, sed propter unitatem subjecti, & virtutis principalis agentis, esset unica solum actio, quia sicut virtus principalis agentis uteretur pluribus instrumentalibus ad eundem effectum producendum, ita etiam eandem numero eliciendam actionem.

Dices secundo: Non potest una & eadem persona duobus distinctis numero baptismatibus baptizari: Sed in casu posito essent diversa numero baptismata, quia esset multiplex ablutio & multiplex prolatio formae: Ergo &c.

Respondeo negando Minorem: nam in casu posito esset unum tantum Baptisma formaliter, ut docet S. Thomas hic art. 6. quia licet essent ibi plures actiones abluentes, & plures formae, dicerent tamen habitudinem ad idem subjectum formaliter, ut subesset eidem differentiae temporis: unde sicut variae superficies in eadem distantia ad polos & centrum mundi, sunt idem locus formaliter, quamvis continuo fluant materialiter, & variantur; ita diversae illae actiones abluentes, & diversae formae, praedicto modo sumptae, essent formaliter unus Baptismus.

Dico quinto: Si plures ita eundem baptizarent, ut unus ablueret, & alius verba proferret, Baptismus esset nullus. Est contra Marfilium & Cajetanum, est tamen D. Thomae supra quæst. 66. art. 5. ad 4. ubi sic ait: *Si convenirent duo, quorum unus esset manus, qui non posset proferre verba, & alius carens manibus, qui non posset exercere actum, non possent ambo simul baptizare, uno dicente verba, & alio exercente actum.* Quo nihil clarius & expressius in favorem nostrae conclusionis dici potest.

Ratio etiam suffragatur: Nam quando forma Sacramenti est falsa, non perficitur Sacramentum sit enim mutatio substantialis: At si plures ita eundem baptizarent, quod unus ablueret, & alter

alter verba proferret, forma esset falsa: Ergo in illo casu non perficeretur Sacramentum. Major patet, Minor etiam videtur manifesta, nam ille qui solum proferret verba, non baptizaret, qui verò solum ablueret, non adhiberet formam, quæ materia consecratur: Ergo &c.

26

Dices primò, hoc inconueniens evitari, si diceretur, *Nos te Baptizamus*, accipiendo propositionem illam complexivè; in hoc enim casu forma non esset falsa, quia sensus esset, Ego & ille te baptizamus, per modum unius conjuncti totaliter Baptismatis, quod verum esset, sicut etsi nullus seorsim possit trahere navim, dici tamen potest, nos trahimus, si plures simul eam trahant.

Sed contra: Ex hoc magis confirmatur nostra conclusio, idè enim hæc secunda propositio est vera, quia verè quilibet trahit navim, saltem partialiter: At verò qui tantum profert verba, non potest dici ablueri partialiter: Ergo dicendo, *Nos te Baptizamus*, falsum assereret.

47

Dices secundò, Ego te baptizo, non est idem, ac ego te lavo, sed idem quod ego tibi Sacramentum conféro: uterque autem in casu posito verè conferret Sacramentum partialiter, quamvis unus tantum ablueret, & alter verba proferret.

Sed contra primò: Sacramentum Baptismi non confertur, nisi per abluionem: Ergo ille non potest dici conferre Sacramentum Baptismi, qui non potest dici ablueri.

Secundò: Verba formæ primò & per se significant actionem sensibilem abluendi, & de illa debent in primis verificari: Ergo nulla responsio. Antecedere constat, nam illa verba, *Ego te baptizo*, significant usum materiæ primò & per se: Sed ille est ablutio sensibilis: Ergo primò & per se actionem abluendi significant.

Dices tertio, Illi duo ministri baptizantes possent valè uti formæ Græcorum: hæc autem non esset falsa, quamvis unus tantum ablueret, & alter verba proferret: Ergo &c.

Sed contra primò: Verus sensus formæ Baptismi non est petendus ex forma Græcorum, sed potius ex forma quæ utitur Romana Ecclesia; neque censenda est illa forma sufficiens, quæ prolata illis verbis quibus Ecclesia Romana utitur, vera esse non potest.

Deinde, quando in forma Græcorum dicitur, *Baptizetur servus Christi*, subintelligitur *A me*, licet non exprimat, ut patet ex alia eorum forma relata à Florentino in Decreto unionis, in qua sic dicitur: *Baptizatur manibus meis N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: Sed hoc esset falsum, si alter ex ministris non ablueret: Ergo etiam forma Græcorum non verificaretur, si plures ita eundem baptizarent, ut unus ablueret, & alter verba proferret.

29

Contra istam conclusionem objicitur primò: Potest contingere quod parvulo moribundo ad sint tantum duo, quorum unus sit mancus, & alter mutus: Ergo tunc erit licitum muto ablueri, & manco proferre verba, ne salus pueri periclitetur.

Respondeo in tali casu mutum illum posse alligare capiti alterius vasculum aquæ, quod ille submittendo caput versaret supra puerum, proferendo formam. Quod si nullus esset aspergendi modus, nisi manibus, idem sentiendum esset, ac si nullus foret minister legitimus, ut ex verbis D. Thomæ supra relatis manifestè colligitur.

30

Objicitur secundò: In Sacramento Penitentiae & Matrimonij materia adhibetur ab uno, &

forma ab alio: Ergo idem poterit fieri in Sacramento Baptismi.

Sed nego consequentiam & parietem: tantum judicii, in quo oportet reum & judicem distinguere, & confessionem fieri à reo, absolutionem verò à judice. Matrimonium verò se habet per modum contractus mutue traditionis & acceptationis, quæ non possunt inter unam & eandem personam reperiri.

ARTICULUS III.

B An requiratur aliquis qui baptizatum levet de sacro fonte?

Respondeo affirmativè cum S. Thomas art. 7. ubi id probat primò ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, & traditione Apostolica, cujus testis est Dionysius cap. 2. de Ecclesiastica hierarchia dicens, quod sacerdotes assumuntur baptizatum, tradunt eum ad educationem superius duci. Et cap. 7. sic ait: id placuit divinis scriptis tradidit (id est Apostolis) ut traderent parvulum ad doctrinam in divinis pedagogis, & salutaris instructionis. Idem testantur alij SS. Patres, qui scriptores variis nominibus appellant: Iulianus quæ. 56. ad Orthodoxos, vocat eos *parvulum*, id est offerentes: Tertullianus de Baptismo cap. 18. Sponsos: Augustinus serm. 21. de temporibus: Hyginus Papa Can. in Cathedra Petri consecrat. dist. 4. Paternos, & Synodus Moguntina can. 47. *Compares*, jubetque illos filios in spirituales catholicè instruere.

Ratio etiam suffragatur, nam ut dicitur Doctor in eodem articulo: Spiritus regenerationis quæ fit per Baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali, juxta illud i. Petri 1. *Sicut modo geniti infantes, rationabiles & simplices, lac concupiscite*: Sed in generatione carnali parvulus nuper natus eget nutrice & pedagogo: Ergo similiter in spirituali regeneratione quæ fit per Baptismum, baptizatus indiget susceptore, per quem in fide & vita Christiana instituitur, & informetur.

Admonet tamen S. Thomas in resp. ad a. hoc non esse de necessitate Sacramenti, sed ad ejus solemnitatem pertinere: sicut enim (inquit) in generatione carnali non requiritur ex necessitate nisi pater & mater; sed ad faciliem partum, & educationem pueri convenientem, requiritur obstetrix, & nutrix, & pedagogus. ita in regeneratione spirituali quæ fit per Baptismum, susceptor seu patrinus non est de necessitate Sacramenti: unde licet esset peccatum mortale in Baptismo solemnem illum omittere, ob præceptum & consuetudinem Ecclesiæ, non tamen quando datur in casu necessitatis sine solemnitate.

Si autem quæras, quinam possint esse patrinus in Baptismo?

Respondet D. Thomas hic art. 8. ad 1. & in dist. 42. quæst. 1. art. 3. quæstionem. 1. ad 3. quod non baptizatus non potest levare aliquem de sacro fonte, cum non sit membrum Ecclesiæ; cuius typum gerit in Baptismo suscipiens, quamvis possit baptizare, quia est creatura Dei, cuius typum gerit baptizans. Unde Cathecumenus qui vis fidelis sit, non potest esse susceptor, quia non est baptizatus. Non debent etiam admitti hæretici ad munus susceptoris à sacro fonte, quia